33655

CORONA LIBERTATIS

Paterno Capiti

Filius Sapiens

Vates OPPIANUS,

olim

A Patria Libertate jussu Severi Cæsaris exul,

Demùm

Se & Patrem erudito Pòëtico codice in libertatem

VENDICANS.

Nunc verò

In libero Scientiarum Imperio,

Academica nimirum Universitate,

In Metam

Liberis Ingeniis

Actu Metagymnastico

PROPOSITA

Ab Illustrissima, Perillustri, ac Magnifica Iuventute Academiæ Vilnensis Societatis JESU.

Anno sapIentIæ æVIternæ, LIbertate DonantIs, eXaLtantIs, atqVe CoronantIs orbeM.

ARGUMENTUM.

Didicimus exemplo eruditi Orbis, viris fortibus, sed magìs eruditis, ubiq; libertatis Patriã esse, dum etiam inter angustias exilii, libera Vatum non coarctari ingenia probavit Agesilaus Vir primæ Cæsar-Augustanæ Nobilitatis, in suo Filio Oppiano Vate, cum quo dum se literis impendit, accidit; ut Severus Imperator Cæsar-Augustam diverteret: cui cum omnes Urbis Primores obviam salutatum irent, solus Agesilaus cum suo Vate literis intentus, id officii neglexit: quare iratus Cæsar Filium cum Patre in exilium relegat. Mortuo interea Severo, Oppianus carmen suum ejus Filio Antonino dedicavit, à quo ob carminis elegantiam ab exilii servitute in libertatem Patriæ revocatur. *Greg: Gyraldus de historia Pòëtarum pag:* 250.

PROLO-

P R O L O G U S.

MArs Imperii Romani Fortunâ & InvidiâComite, inter trophæa belli victoriis tumens, suos Heroas deprædicat. Pallas verò majorem Scientiarum esse gloriam in laureatis Vatum Capitibus demonstrat. Hinc Mars postponi se putans, arma vibrat in Caput Palladis, Pallade se clypeo libri schemate notato muniente.

I N T E R L U D I U M.

A C T U S 1*mus*.

Scena 1*ma*. Consilia belli agitantibus Proceribus, turbatâ Republica per seditiosos tumultus Albini, venit Nuntius Cæsaris Severi victoriam de Albino (a) & ipsius Severi advẽtum prænuntians; ac in vim favoris, quo ferebatur erga eruditos, defert Agesilao Viro annis & eruditione gravi libellum aureum cum depicta in eo Corona, & inscript: *In libro: Donabit Patria te libertate Corona.* Oppiano verò Vati literas Credentiales ad Consulatum primum, in quarum contextu legit: *Fias de Rhetore Consul.* (b) eidemq; Nobilem Juventutem arte Poëtica instruendam committit, reponente Oppiano: *sI fortVna VoLet VIVaM De rhetore ConsVL.* (c) Agesilao insuper addente: *sI VoLet ast eaDeM, fIes eX ConsVLe Vates*, quo Filium animat, ut etiam in Consulatu, Poëtico operi ad Gloriam Cæsaris sese impendat. Ad hæc Mortifilo uno Procerum tacitè frendente, ob postpositum se Oppiano in Consulatu.

Scena 2*da*. Nuntio Cæsaris etiam Procerum fidelitatem erga Thronum præmiante, obtigit Mortifilo gladius, cum Epigraphe: *In gladio fata transibis.* Agesilaus verò datum libellum versans advertit inaratum illud: *Cedamus Patriâ.* (d) quod Oppianus explicat, secedendum esse à curis Patriæ, ut commodè studiis dent operam. Hinc transit cum Patre ad privatum Conclave, ubi dum revolvunt libros, incidit Agesilaus in illud metrum: *Mors faciet certè, ne sim, cùm venerit, exul.* (e) Turbatur hoc fatidico oraculo Agesilaus, quod ingeniosè explicat Oppianus, vitam hanc exilium esse; cui nonnisi communis meta mors imponet terminum.

Scena 3*tia*. Ingreditur aulam cum triumpho Cæsar devicto Albino, salutatur à Primoribus absenteOppiano, &Agesilao, cujus ob ægrã in senio valetudinẽ excusatur absentia à Facundo. Proinde Cæsar delegat Mortifilum, ut Oppianum sibi dilectum Vatem ad Aulam revocet.

Scena 4*ta*. Captatâ inde occasione implicandi dolis Oppiani Mortifilus, Vatiniano accensus odio, ob sui pro priori postpositionem, vocato in Socium fraudis Doliango, cujus fidem gladio à Cæsare misso obstringens dolis agendum destinat. Interim dolosæ successum Fortunæ probaturus, adit celebrem Chiromantam Sempronium (de quo Dion Niceus in Vit: Severi) à quo ex libro Necromantico hoc Mortifilo panditur ænigma: *Tu Filius mortis caput gladio feres*; quo implicatus Mortifilus contempto Chiromantâ abit, inobedientiæ, & læsæ Majestatis reum Oppianum insimulaturus.

Scena 5*ta*. Adit Cæsarem Mortifilus, crimen inobedientiæ affingit Oppiano; unde indignatus facilè credulus Cæsar, Oppianum cum Patre in exilium demandat, Decretumq; ad Sonum Tubæ promulgari jubet. Audito tristi Nuntio Oppianus; adest in publicum, Decretũ auditurus; ac, ne in conspectum Cæsaris admissus exnunc cedere jubetur.

Scena 6*ta*. Cedenti in exilium; revocato illo fatidico effato: *Cedamus Patriâ*: obviat Facundus Sangvine junctus, cui infelicem sortem, & omnia de suo exilio fatidica aperit oracula; dolens nil sibi, & Patri profuisse honores Patriæ: *sI patrIæ fIneIs, & DVLCIa LInqVIMVs arVa* (f) Exulis itaq; à PatriaOppiani, Discipuli deplorantes sortem, & lachrymis eum prosequentes inter tristes nænias separantur.

Scena 7*ma*. Reduci ad aulam Facundo obviat Faustinus, & Liberinus infortunio Oppiani indolentes, quibus vocatis in testem innocentiæ Oppiani, aditThronum, Severum informaturus de dolis Mortifili, quos jure juratâ fide semotis arbitris Cæsari exponit Facundus. Unde mandati sui præcipitanter lati pœnitens Cæsar fraudes Mortifili annotat privato libello, iisdem fraudibus usurus in pœnam Authoris.

(a) *Dion Nic: in Vit Severi*
(b) *Iuven: Satyr: l.* 3.
(c) *Idem.*
(d) *Iuven: Satyr: l.* 1.
(e) *Ovid: de Ponto l.* 1. *Eleg:* 1.
(f) *Virgil: l.* 1. *Bucol.*

CHO-

CHORUS I.

GEnius exulis Oppiani inter ſylvas refugium quærens, fatigatus, ſub arbore ſuper librum reclinat Caput, appenſâ è ramo cytharâ, olim ſibi ad cantus Pòëticos alludente. Cui ſopito ſvaviorem conciliantibus ſoporem Nymphis cantu, ſupervenit Pallas, & quieſcentis in Umbra Vatis Caput laureâ coronans, Genio Vatis eadem alludit cytharâ, innuens etiam in deſerta Arabia Sapientûm Patriam eſſe.

INTERLUDIUM.

ACTUS 2dus.

Scena 1ma. Feſſus laboribus, & ſenio Severus, inſtante ſibi vitæ termino, ſucceſſore Imperij declarato Antonino Filio, moritur. Hinc totâ lachrymis defuncto Cæſari parentante Aulâ, poſt triſtes nænias, cum tubarum clangoribus more Romano defertur cadaver ad privatum conclave. Quo aſſervato revocati ad Aulam Proceres, ſolo abſente Mortifilo, novo Imperij Capiti inter vota, ſpondent fidelitatem; ſupplicantq; pro libertate exulis Oppiani.

Scena 2da. Antoninus informatus plenè occultè de dolis Mortifili, memor ſibi Chariſſimi Vatis, ſimulat negotium expediendi Legati in Siciliam (à qua non procul erat exul Vates) in cauſa confirmandæ pacis, expedit literas inſcriptas ad Regem Siciliæ, (reverà autem in contextu conſolatorias Oppiani cum ſpe libertatis) quod munus ſupervenientis Mortifili activitati, quaſi ex ſpeciali favore committit, ad quod ſe libens offert Mortifilus ignarus occulti aſtus.

Scena 3tia. Itaq; accingenti ſe in viam aſſignatur pro Secretario fictæ legationis Fauſtinus, privatim inſtructus, has literas non Regi Siciliæ, ſed Oppiano reddendas eſſe, cui omnes literæ ciſtulæ in formam libri factæ incluſæ traduntur cum inſcriptione: *Libertas in Libro.* Mortifilo verò datur libellus ille (g) celebris Caligulæ dictus: *gladius* è veteri Cæſarum Bibliotheca deprompus, pro ſecuritate viæ hac notatus epigraphe: *Mors in gladio.*

Scena 4ta. Confert ſe in viam Mortifilus arcanum illud revolvens: *Mors in gladio*, quod à Fauſtino ambiguè ſolvitur: quòd ei mors in gladio foret, qui iter præpediret. Mortifilo verò & ſibi libertas, hoc eſt liber paſſus viæ in libro. Unde taliter ſoluto ænigmate lætior Mortifilus revocat illud Necromantæ: *Tu filius Mortis &c.* dum caput in gladio, id eſt primus in honore legationis eſt factus, cujus teſſera eſt liber dictus *gladius*, viamq; continuat.

Scena 5ta. Viæ incommodis fatigatus media in ſylva quieſcit Mortifilus, ſopitus verò videt umbram Albini gladio ſibi minantem, quâ viſione territus evigilat, Fauſtino excitato viam accelerans incidit in Latrones, quos ſtrictis gladijs cum Fauſtino, trucidat revocans illud: *In gladio fata tranſibis.*

Scena 6ta. Digreſſo Mortifilo Fauſtinus cum Liberino, conſcius arcanæ legationis gaudet amico ſuo Oppiano miſſam ſpem Libertatis, ac effata illa ſibi nota explicat: *Mors faciet certè &c.* id eſt, Mortifilus cùm venerit in ſpe libertatis data non erit exul Oppianus; & illud: *In libro: donabit Patria te libertate Corona*; putans de Corona Imperij, Cæſare ſcilicet, à quo in libro promiſſa Vati libertas. Redeuntibus verò ad Aulam occurrit Fidelingus Ephebus miſſus ab Oppiano (delatâ jam ad eum famâ Cæſarei Fati) cum libro carmine in Laudes Antonini conſcripto, quo Cæſari præſentato delectatus ſummè elegantiâ carminis Antoninus; quantocyùs jubet revocari Oppianum cum Patre ab exilio.

CHORUS II.

STrenuo Scientiarum Athletæ Genio Oppiani erudito inter libros labori intento, Minerva porrigit librum ad evitandas in eo doli inſidias, hac libro adſcripta epigraphe: *Si intraverit Sapientia Cor tuum, cuſtodiet te, ut eruaris à via mala. Prov: 2do Cap.* quâ diſparente irruit in tenerum Vatem Livor, doloſis eum implicat funiculis, Conſularem trabeam detrahit. Sed inclamante auxilium Genio Vatis, accurrit coronatus Genius Antonini, qui gladio doloſum ſolvit nodum, Livoreq; trucidato, Genio Oppiani purpuram reſtituit, accinentibus Muſis, quòd, dignum laude virum, muſa vetat mori. *Horatius.*

(g) *Xifil: in Caligula.*

INTER.

INTERLUDIUM.

ACTUS 3tius.

Scena 1ma. Fictâ legatione per priùs revoluta per Faustinum apud Oppianum, illusus Mortifilus, impatiens moræ redit citato passu relicto in via Faustino, ac præ furore amenti similis, librum pro securitate viæ datum à Cæsare, in ejus contemptum, in latebras, adscriptis notis: *pereat liber Ditis*; abjicit, ac abit in sua. Faustinus verò Comitem suum insequens eadem viâ, abjectum librum invenit, defert Cæsari, hinc agnitâ ex charactere manu Mortifili Cæsar, nomen ejus, more Caligulæ eidem libro dicto *gladius*, annotat ad necem.

Scena 2da. Morâ factâ sistitur aulæ Mortifilus, excusat suam tarditatem ob latronum in viis insidias, inquiritur ab eo liber, quo se spoliatum à latronibus affirmans jurare super hoc jubetur: jurat falsò per nomen Cæsaris (h) cui ad speciem credere se simulat Cæsar, interim involutum privatim atro holoserico (i) librum illum: *gladius*, in quo ad necem nomē Mortifili notatum fuit, eidem deferendum tradit ad Urbinum Militiæ Præsidem cum Mandato necis tacitè se subtrahente ab aula Doliango, doli complice.

Scena 3tia. Nil mali suspicatus in involucro Mortifilus defert deferenda, sibiq; mortē fert in gladio. Atq; ubi revoluta mors patuit, recordatus fatidici oraculi: *Tu Filius Mortis Caput gladio feres*; item: *In gladio fata transibis*; de fatali libro dicto *gladius*, in quo Filius Mortis factus caput gladio tulit, intelligens; ab Urbino gladio perit.

Scena 4ta. Impleto mandato mortis in Mortifilo, in Regiam tendens Urbinus reducem ab exilio obvium habet Oppianum cum Patre, qui rerum vicissitudinem in se admirans, accepto Nuntio de fatis Mortifili, illud verificari videt: *Mors faciet certè &c.* id est, se jam non esse exulem, cum Severo, & Mortifilo mors venerit. Tandem sistitur in conspectu Antonini, quo salutato gratias agit pro libertate sui, & Patris, quem Antoninus suffragio eruditi libri liberum ab exilio declarat. Ubi Agesilaus veritatem oraculi illius: *In Libro donabit &c.* evolutam videt in Oppiano Vate, qui, utpotè Filius Corona Patris, Patri libertatem restituit. Evoluto tandem & illo: *Libertas in libro.*

Scena 5ta. Lætior Antoninus de incolumitate sui Vatis Encomiastæ, Oppianum primo Consulatui restituit, affirmans eruditis primos deberi honores, quibus stat Respublica. Hinc gratias dante aulâ Antonino pro libertate Vatis, Firmino Cæsari applaudere jubet Juvenū choragio. Quo delectatus Cæsar, laudatam Juvenum indolem animat ad labores scientiarum. Ipse interim commendatâ Senatui vigilantiâ circa securitatem Patriæ, ad curas Imperij se se confert.

EPILOGUS.

GEnius Ligatæ Eloquentiæ Genio Oppiani Vatis de libris erigens colossum immortalis Gloriæ *Plus ultra* aureo inarat charactere. Academicæ verò Juventutis Nomina aureo inscripta libello, pro cujusq; gradu, in præmium Annui laboris, erudito coronat honore.

(h) *Mos iurandi Romanis per nomen Imperatoris, Alex: ab Alex.*
(i) *Turcis usitatum est, literas, quibus aliquis ad necem postulatur, atro involvere holoserico.* Drexelius.

Ad
M. D. T. O. M. G. B. V. M. S. L. O. C. Honorem.



